

DE SANCTA BIRGITTA ASSISIUM AD SANCTUM FRANCISCUM PEREGRINANTE

Birgitta, filia Birgeri cuiusdam iudicis Suecani a. 1303 nata (ideoque a. 2003 septingentaria), postquam vir eius obiit ipsaque octo filios peperit, a. 1349 patriam Suecanam reliquit, ut Romam proficisceretur. In aedificio, quod hodie iuxta Plateam Farnesinam situm “Casa di Santa Brigida” appellatur, per multos annos habitavit ibique etiam animam a. 1373 exhalavit. Revelationes caelestes iterum iterumque se accipere affirmabat, et praesertim cum mortem papae Urbani V a. 1370 praedixisse videretur, multis ne dicam plurimis Italarum quidem persuasum erat Birgittam re vera nuntiam Dei prophetamque esse. Duodeviginti autem annis post mortem a. 1391 catalogo sanctorum ascripta est.

Neque vero dubium mihi esse videtur, quin Birgitta revelationes suas etiamsi bona fide tamen ipsa confinjerit. Timore primo perterrita, ne a Diabolo illuderetur, ad patrem suum confessorem confugit eique omnia, quae in raptu mentis aut audierat aut viderat, revelavit. Is confessor erat magister Mathias, canonicus Lincopensis, eiusdem dioeceseos atque Birgitta, scriptor rerum theologiarum, rhetoricarum poeticarumque clarissimus. Idemque cum eius artis peritissimus haberetur, quae *discretio spirituum* vocabatur, spiritus videlicet boni et spiritus mali, aptissimus sine dubio erat, qui diiudicaret, utrum revelationes Birgittae verae essent necne. In quibus examinandis Mathias alios quoque theologos consulebat. Opere tandem confecto declaravit omnia, quae Birgitta in extasi se expertam esse dixisset, vera esse originisque divinae. Birgitta igitur ipsa se nuntiam Dei ideo esse putavit, quod alii hoc ei persuaserant. Scriptrix ab aliis creata fieri non potuit quin postea munus divinum sibi iniunctum esse censeret, quidquid in extasi sensisset, mundo toti notum faciendi, utpote quod voluntatem Dei ostenderet.

Sanctam autem Birgittam pia fraude esse delusam iam ideo mihi persuasi, quod aliquot revelationum eius, quae quamquam “revelationes” ne a Birgitta ipsa quidem vocantur (agitur praesertim de epistulis), tamen eodem stilo, iisdem cum figuris, imaginibus, coloribus orationis conscriptae sunt atque eae, quas Birgitta de Deo se accepisse diserte dixit, e. g. *Rev.* VII, 5. Auxilio igitur divino destituta neque alio neque peiore genere scribendi usa est. Sunt etiam revelationes quaedam indolem humaniorem, ut ita dicam, prae se ferentes, quam quae a numine caelesti profectae esse putentur; spero me hac in re, mi Alexander, religionem tuam, si quam habes, non

offendere. Iuvat autem exemplum afferre, quo satis clare monstratur, nisi fallor, quomodo Birgitta bona fide nuntios ipsa hoc modo et miserit et acceperit. Legitur *Rev.* VII, 3 (ed. Bergh, 1967, p. 116 sq.):

In festo sancti Francisci in sua ecclesia Rome in Transtiberim apparuit sanctus Franciscus eidem sponse Christi dicens: “Veni in cameram meam ad comedendum et bibendum mecum.” Quod ipsa audiens statim paravit se ad iter, ut visitaret eum in Assisio. Vbi dum per quinque dies moram duxisset, proponens tunc Romam redire, intrauit ecclesiam, ut se et suos sancto Francisco commendaret. Cui tunc ipse apparuit dicens: “Bene veneris! Inuitavi enim te in cameram meam, ut mecum comederes et biberes. Scito tamen, quod hec domus non est camera, quam ego dixi tibi, sed camera mea est obediencia vera, quam ego semper tenui ita, quod nunquam sustinui esse sine preceptore. [...] Cibus autem meus, quo delectabiliter reficiebar, erat hoc, quod scilicet libentissime traxi proximos meos a vanitatibus vite secularis [...] Potus autem meus erat illud gaudium quod habui, dum aliquos per me conuersos vidi Deum diligere.

Satis hic apparet Birgittam credidisse quidem Franciscum sibi imperavisse, ut Assisium iter faceret, sed, postquam per quinque dies frustra exspectavisset et Romam iam reditura esset, tandem intellexisse se verba viri Dei prave interpretatam esse. Non igitur necesse fuerat, ut Assisium iret, id quod haud scio an sancta nostra aegre tulerit. Sed certe non est, quod putemus Birgittam quinque dies Assisii moratam esse, priusquam ecclesiam visitaret. Vero similis videtur peregrinam nostram, ut erat femina devotissima et impigerrima, quam primum templum intrasse, ut cum Francisco, ut putabat, comederet et biberet. Sed is, ut iam vidimus, ante quintum (vel sextum) diem non apparuit. In alia autem revelatione (*Rev. extrav.* 90) legitur, quomodo *Christus* Birgittae Assisii apparuerit cum alia tum haec dicens (ed. Hollman, 1956, p. 215):

Amicus meus Franciscus descendit de monte deliciarum in speluncam, vbi panis suus erat diuina caritas, potus eius continue lacrimae et lectus eius meditatio operum et mandatorum meorum.

Haec revelatio sine dubio Birgittae data est, antequam Franciscus ei apparuit declarans, quomodo verba, quae Romae in ecclesia Sancti Francisci Transtiberina audiverat, recte accipi deberent. Sed quod Christus quoque de cibo et potu loquitur, mihi quidem luce clarius est ea ipsa verba revocari. Revelatio igitur, qua Christus se Birgittae Assisii ostendit, primus conatus erat Franciscum intellegendi et interpretandi. Secundus autem conatus, quo Birgitta Franciscum ipsum dicentem audivit, ei felicior fuisse ideoque magis placuisse videtur.

Sed Christum Christiani quidem non modo omnipotentem verum etiam omniscientem esse et tunc temporis putaverunt et adhuc, si re vera Christiani

sunt, putent necesse est. Sequitur, ut, si Christus se re vera Birgittae apparuerit, ea videatur fidem ei non habuisse ideoque indigna esse, cui credatur sive quam nuntiam Dei veram accipiamus. Quodsi Christus Birgittae non se ostendit, sequitur, ut revelatio falsa esse necessario censeatur.

Utrum mavis, iubilans doctissime, sume! Tertiumne quoque dari tibi videtur? Desiderio ardeo audiendi, quid hac de re, quo es iudicio, sentias.

Vale.

Scripsit Birgerus Bergh

Lundensis

Св. Бригитту считали наделенной пророческим даром. Однако автор статьи полагает, что свои откровения св. Бригитта сочиняла, чистосердечно веря при этом, что они исходят от Бога. В доказательство приводится анализ двух откровений, полученных, по ее словам, от св. Франциска Ассизского и от Иисуса Христа.